NOS DOCTOR D. PETRVS PACHECO REGIAE CATOLICAE MAIESTATIS CONsiliarius, Commissarius Apostolicus Generalis Sanctæ Cruciatæ, Cæterarumque gratiarum per Sanctissimum Dominũ nostrũ Innocentiũ PP. X. felicis recordationis, in omnibus Regnis, & dominijs Hispan. Insulisque adiacentibus, ac Siciliæ vltra Pharum, & in Sardiniæ Regnis, omnibusque terris, & dominijs Terræfirmæ Indiarum, maris Occeani, seu aliás nuncupatis Philippo Regi Catholico subiectis, & Executor ad infrascripta dicta Apostolica auctoritate specialiter deputatus, &c. Vniuersis & singulis Christifidelibus harum literarum seriem lecturis, vel audituris, Salutem in Domino sempiternã. ¶ Vidimus, legimus, & diligenter inspeximus, fel. recor. Gregorij PP. XIII. literas Apostolicas in fauorẽ S. Cruciatæ, & expeditionis contra Turcas & infideles concessas, ac earum prorogationem, & extensionem ad alias prædicationes, & publicationes faciendas, vt infrà in forma Breuis, & sub annulo Piscatoris expeditas, authenticas, ac omni vitio & suspicione carentes. Quæ quidem literæ sunt tenoris sequentis.

GREGORIVS PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Cũ aliàs fœlicis recordationis Pius Papa V. prædecessor noster cupiens, vt indulgentiæ, & aliæ gratiæ, indulta, & facultates, tam spirituales, quàm temporales, quas idẽ prædecessor proficiscentibus, seu mittentibus ad exercitũ charissimi in Christo filij nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici contra Turcas comparatum seu ad prædictum bellum contribuentibus, & certa alia sibi incumbentia, adimplentibus concesserat, ea, qua decet puritate publicarentur, illarum omnium sũmariũ (quod etiã per omnes, qui illis vti voluissent, accipi & per eos retineri debere decreuit) sub certis modo & forma confecerit. Cumque postmodum tam ipse Pius prædecessor, quàm etiam ipso de medio (sicut Domino placuit) sublato, Nos, diuina fauente clementia ad summi Apostolatus apicẽ assumpti, illas omnes ampliauerimus, & nonnullas etiã de nouo concesserimus, prout in diuersis, tam ipsius prædecessoris, quàm nostris desuper confectis literis plenius continetur: ac propterea summarium illud sic confectum etiam ampliatione indigeat: ac non minori, quàm ipse pius prædecessor zelo zelantes, vt illud quã purissimũ in hominum manus perueniat, illud de nouo confici curauimus infrascripto sub tenore videlicet. HOC EST Summarium indulgentiarum, & aliarum gratiarum, per fel. record. Pium Papam V. primò, & deinde per sanctiss. in Christo Patrẽ, & Dñm nostrum, Dñm Gregor. diuina prouidẽtia Papã XIII per suas literas concessarum, per omnes Christi fideles, qui illis vti voluerint recipiendum, & retinendum. PIVS itaque V. & successiue Greg. XIII. Romani Pontifices prædicti, ex causis in literis eorũ expressis. Primò concedunt prædicto Philippo Regi, huic defensioni & expeditioni contra Turcas, & infideles assidua cura & diligentia incumbenti: necnon omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus in Hispaniarum Regnis, & insulis illis adiacentibus, ac etiam Sardiniæ, necnon Siciliæ vltra Pharum similiter regnis, locis, terris, oppidis & dominijs, Terrę firmę, & Indiarum maris Oceani, seu aliàs nuncupatis, eidem Philippo Regi, tam mediatè quàm immediatè, & aliàs quomodocumque, & qualitercumque subiectis consistentibus, & ad illa declinantibus, qui intra annum à die publicationis præsentiũ in singulis locis prædictis faciendæ inchoandũ fidei zelo moti ad exercitum prædicti serenissimi Regis Hispaniarum contra Turcas, & alios infideles in illos pugnaturi, aut aliud genus seruitij gratis facturi suis sumptibus accesserint, & ibi deinde vsque in finẽ huius expeditionis eiusdem anni permanserit, plenam omniũ peccatorum suorũ (si de illis corde contriti, & ore confessi fuerint, aut non valentes confiteri, id corde desiderauerint) indulgentiam & remissionem, quæ proficiscentibus ad recuperationem Terræ sanctæ, quæque in anno iubilei concedi consueuit. ITEM declarant, quòd eandem indulgentiã assequatur, qui ante finẽ expeditionis aut in itinere ad exercitum, aut in eodem exercitu obierint; & illi qui propter infirmitatem, seu aliam superuenientem veram necessitatem inde recesserint: item, qui illos suis impensis miserint, dũmodo si mittens fuerit S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Primas, Patriarcha, aut Episcopus, Regis filius Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, mittant quot homines, vsque ad decem inclusiuè, commodè poterit: nec mittat pauciores quatuor, si plures non poterit. Alius verò cuiuscumque sit conditionis, siue laicus, siue Clericus sæcularis, vnum mittere teneatur. Quòd si tenues adeò fuerint facultates, vt id præstare non possit, eo casu duo vel tres, aut quatuor stipendium vni persoluant pro rata facultatum inter eos distribuendum. ITEM, Capitula Ecclesiarum, monasteria, & loca etiam regularium, & mendicantium, tam fœminarum, quàm masculorum, si pro decẽ personis eorumdem Capitulorũ & locorũ præcedenti capitulari, seu conuentuali deliberatione vnum miserint. ITEM, eadem indulgentia suffragabitur per modum suffragij, etiam animabus defunctorum, pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit: aut pro quibus nõ euntes, nec mittentes de bonis suis iuxta taxã per Cõmissarium, personarum qualitate inspecta faciendam pro Religionis defensione contulerint. Item, eãdem indulgentiam assequantur etiã omnes, qui mittẽtur, si pauperes fuerint. ITEM, Clerici sæculares, qui ab ordinarijs, & regulares à suis superioribus habita licentia, verbum Dei in eodem exercitu prædicauerint, confessiones audierint, seu Missas celebrauerint, vel alia Ecclesiastica, & pia ministeria exercuerint. Quibus etiam conceditur, vt beneficijs tam sæcularibus, quàm regularibus per idoneos Vicarios deseruire possint, exceptis beneficia curam animarum habentia obtinentibus. ITEM, milites in bello occupati à ieiunijs votiuis, vel Ecclesiæ excusantur: & quòd in die festo belli negotijs vacare possint, declaratur. ITEM, conceditur omnibus prædictis, necnon ijs, qui nec ibunt, nec mittent, si tamen infradictum annum ex bonis sibi à Deo collatis in hanc expeditionẽ pro Religionis defensione liberaliter cõtulerint, vt dicto anno durante possint in Ecclesijs, in quibus, aliàs diuina officia interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in priuato Oratorio ad diuinum cultum tantum deputato ab ordinario, visitando & designando, etiã tẽpore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quo minus amoueatur, & qui facultatẽ eandẽ à Cõmissario generali habuerint, etiam per horam antequam illucescat dies, & per horam post meridiem in sua ac familiarium, & domesticorũ, ac consanguineorum suorum præsentia Missas, & alia diuina officia per seipsos, si presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium celebrari facere, & tẽpore interdicti diuinis interesse. Eis tamen, qui priuato Oratorio ad præmissa vti voluerint, vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro vnione Principũ Christianorum contra infideles, eorumque cõtra eosdem victoria fundere teneantur, imponitur. Item, Eucharistiam, & alia sacramẽta, præterquã in die Paschatis recipere. Itẽ, mortuorũ corpora (nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri. Item, vt dicto anno durãte in omnibus & singulis Regnis, insulis, locis, terris, oppidis, & dominijs prædictis (& non extra illa) carnibus de consilio vtriusque Medici temporibus ieiuniorum totius anni, etiã quadragesimalibus, vesci, ac pro eorũ libito ouis & lacticinijs, ita quòd qui carnes non comederint, seruata in cæteris ieiunij Ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfecisse censeantur. Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, & lacticinijs cõprehenduntur omnes cuiuscuis militiæ regulares. Patriarchis verò, Archiepiscopis, & Episcopis, alijsque inferioribus Prælatis, necnon alijs personis Ecclesiasticis regularibus, & qui in ordine presbyteratus fuerint, sæcularibus id minimè conceditur, nisi sexagenarij fuerint. Item, erogantes prædicti, qui diebus ieiunio non suppositis, ad implorandum diuinum auxiliũ pro vnione & victoria prædictis voluntariũ ieiuniũ, vel si ieiunare legitimè impediti fuerint, aliud opus pium arbitrio eorum confessoris, vel parochi assumpserint, & simul preces ad Deum pro vnione & victoria prædictis fuderint, toties, quoties id fecerint, dicto anno durante, quindecim anni & totidem quadragenæ de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentijs misericorditer in Dño relaxantur: & insuper omnium precũ, eleemosynarum, peregrinationum, etiam Hierosolymitanæ, & aliorum bonorum operum, quæ in vniuersali militante Ecclesia, & singulis eius membris fiunt, participes redduntur. ITEM, qui dicto anno durante in singulis diebus stationum almæ Vrbis quinque Ecclesias, seu altaria, seu, in illorum defectũ, quinquies vnũ altare deuotè visitauerint, precesque ad Deum pro vnione & victoria prædictis fuderint, omnes & singulas indulgentias Stationum intra, & extra muros prædictæ Vrbis, tam per se, quam per modum suffragij pro defunctis, pro quibus visitauerint, consequãtur. ITEM, quò omnes & singuli prædicti purius ad Deũ preces fundere, & efficacius diuinum auxilium implorare possint, conceditur, vt possint eligere confessorem sæcularem, vel cuiuscumque etiam Mendicantium ordinum regularem, ex ijs qui ab ordinario, & quoad regulares semel tantum, approbati fuerint: & ab eo quorũcumq; peccatorũ, & censurarũ (etiã Sedi Apostolicæ, & in Bulla Cœnæ Dñi reseruatorum & reseruatarum) plenariam indulgentiam & remissionem semel in vita, & semel in mortis articulo. Aliorum verò Sedi Apostolicæ non reseruatorum ac reseruatarum toties quoties confitebuntur, absolutionem & remissionẽ mediante salutari pœnitentia secundum culparum exigentiã obtinere. Modo etiam in casibus in quibus necessaria erit, per ipsos, vel dato impedimento, per hæredes aut alios satisfactio fiat, & illis vota omnia (vltramarina, castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium huius expeditionis per eumdem confessorem commutari. ITEM, si dicto anno durante contingat, ob repentinã mortem, vel confessorum absentiam sine confessione decedere (modo contriti decesserint, & prius statuto tempore confessi fuerint, neque huius concessionis fiducia negligentiores fuerint) plenariam, vt supra remissionem consequantur. Item, mãdatur, vt summarium hoc per omnes Christi fideles ad prædictum bellũ contribuentes, qui huiusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiatur, & retineatur: ne circa sibi concessas gratias errare, neue alij illas sibi vsurpare possint, & vnusquisque, qua facultate eisdẽ gratijs & facultatibus vtatur, docere valeat. ITEM, Pius præfatus voluit alias literas ab ipso, sub Dato octauo Kalendas Ianuarij. Pontificatus sui anno tertio cõcessas, viribus omnino carere, nulliusque roboris, vel momenti esse. ITEM, omnes Ordinarij, Episcopi, & Archiepiscopi dictorũ Regnorũ, insularum, terrarum oppidorum, & dominiorũ prædictorũ enixè rogantur, & in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipitur, vt omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium durante dicto anno imponendas, seu exigendas, huic tam pio operi omnino velint applicare. Eæque pœnæ omnes, de quarum tamen quantitate assertione Ordinariorum, quorum conscientiæ onerantur, standũ esse, decernitur Thesauro eiusdẽ expeditionis cõtra Turcas, & alios infideles ex nunc, prout ex tunc applicantur & appropriantur, vnà cum pœnis eorum, qui aliquid in huius expeditionis præiudicium, vel ad eam euntium patrauerint. ITEM, Reuerendo Patri Dño Episcopo Segobricensi, & Albarrazinensi, Cõmissario & Receptori generali huius expeditionis deputato & cõstituto, vt supra Ordinarium huiusmodi pœnis inquirere, & cõtra eos, qui in præiudicium huius expeditionis, aut ad eam euntium aliquid patrauerint, procedere. Ac super illicitè habitis, necnon super medietate legatorũ omnium, quę propter malè ablata facta sint, si legatarij per annũ in exactione negligentes fuerint, ac super illis, quæ facta erunt, & quæ dicto anno durante, fient: si legatarij inueniri non poterunt. Necnon etiam super male ablatis, & per vsurariam prauitatem aut aliter male acquisitis: si in omnibus præmissis casibus, præterquam dictæ annalis negligẽtiæ) personæ, quibus restitutio, seu solutio faciẽda est, præstito per restituẽtem iuramento de diligentia per eum facta, pro inueniendo legatario, seu creditore, & minimè inuento, non reperiantur, componere; & ita debitores liberari possint. ITEM, prædicto Commissario, et Receptori generali datur facultas; vt suspendere possit dicto anno durante omnes similes aut dissimiles indulgentias, & facultates ab eisdẽ, & Sede Apostolica, vel eius authoritate quibusuis Ecclesijs, monasterijs, hospitalibus, pijs locis, vniuersitatibus, confraternitatibus, & singularibus personis in Regnis, insulis, terris, locis & dominijs præfatis (etiam in fauorẽ fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel alterius similis Cruciatæ: si quæ in Regnis, insulis, terris, locis & dominijs præfatis recepta, adhuc durent) concessas huiusmodi: etiamsi clausulas aliquas contra suspensionem facientes continerent; ita vt interim neque publicari, neque prædicari possint, neque publicatæ, cuius hominum communiter, vel diuisim suffragentur: exceptis tamen concessis ordinum Mendicantium superioribus, quoad eorum fratres tantùm. Itẽ, dicto Cõmissario etiam conceditur facultas, vt ipse per se, vel per alium, seu alios, quando & quoties sibi videbitur, Indulgentias, & alias gratias per eum suspensas in fauorem illorum, qui præsentium gratiarum, in hanc causam pro Religionis defensione concessarum, participes effecti fuerint, reualidare absque aliquo præmio possit. Itẽ, etiam datur facultas eidem Commissario componendi cum his, qui ad restitutionem fructuum, ex omissione horarum Canonicarum tenentur; ita vt quantas compositionis pro medietate Ecclesijs, vel alijs locis, quarum, vel quorum ratione horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in subuentionẽ huius negotij detur. Item similiter conceditur facultas dicto Commissario dispensandi, & componendi super irregularitate cum his, qui quibusuis Ecclesiasticis censuris legati Missas, & alia diuina officia (non tamen in contemptum clauium) celebrauerunt, seu aliàs se immiscuerunt: & super alia illis qualibet irregularitate, præterquã ratione homicidij voluntarij, aut simoniæ, vel apostasiæ à Fide, aut hæresis, vel propter malam ordinum susceptionem, contracta, cum retentione Beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, et infamiæ, ac inhabilitatis exinde prouenientis, abolitione & executione ordinũ non malè susceptorum, ac (nullis datis literis, seu per confessores lacenatis) cum his, qui primo & secundo affinitatis ex fornicatione contractę, gradibus coniuncti, matrimonium contraxerunt, dummodo, si post Concilium Tridentinum illius formam seruauerint: ac impedimenta huiusmodi penitus occulta sint: & alter cõtrahentium tẽpore contracti matrimonij impedimenti ignarus extiterit, vt altero, ita vt prædicitur, impedimentum ignorente, de nullitate prioris consensus priùs certificato, tacitàque, si videbitur, ad euitanda scandala, causa nullitatis matrimonium interse etiam secretè de nouo contrahere possint, in foro conscientiæ dumtaxat, si ad euitanda grauia scãdala dispẽsandum iudicauerit, dispensare: prolemque susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernere: necnon etiam in superueniente similis affinitatis impedimento similiter dispensare, vt debitum petere possint. ITEM, etiam conceditur facultas dicto Commissario, quòd personis nobilibus, & qui iuxta ipsius Cõmissarij arbitriũ, qualificatæ fuerint, vt Missas per horam ante lucem, & post meridiem audire, & celebrare facere valeant, indulgere possint. Item eidem Commissario datur etiam facultas ad singulas prouincias Commissarios deputandi, & eligendi per Ordinarios locorum, præuia matura deliberatione (onerando eorum conscientias) approbados, cum simili & limitata facultate etiam pro collectione pecuniarum. Item etiam, eidem Commissario conceditur facultas deputandi Notarios, quorum opera vtendum erit, ab Ordinarijs tamen locorum, in quibus illi deputandi sunt, similiter approbandos. Necnon cogẽdi Tabelliones, & quẽlibet alium ad exhibitionẽ quarumcumque scripturarum, vel instrumentorũ huic negotio pertinentem: & deinde inhibendi, quibus inhibendum erit. Neque possit Cõmissarius generalis prædictus coram alio, quàm nobis, neque ab eo deputandi possint corã alio, quàm ipso Cõmissario pro re ad hoc munus pertinẽte, quãdiu istis negotijs vacauerint, in iudicium trahi. Possint tamen à locorum Ordinarijs, quibus subsunt, si ibi deliquerint, coerceri & puniri. PVBLICATIO autem harum literarum per probos & idoneos prædicatores sæculares & regulares quorumuis, etiam Mendicantium ordinũ à suis superioribus approbatos, qui fideliter in hoc summario contenta populo exponãt: quibus etiã prædicatoribus alimenta per quotas constitui prohibetur: eisque iniungitur auditores ita hortari, vt clarè intelligatur, neminem cogi, sed tantum eorum deuotionem excitari. ITEM, quòd si in loco, vbi erit facienda publicatio, fuerit interdictũ, possit huiusmodi interdictũ per octo dies antè & post suspendere. ITEM, quòd monere possit habẽtes pecunias, & bona in hoc opus destinata, seu instrumenta, vel scripturas hoc negotium principaliter, vel secundariò concernentes, vt statim, cùm copiam Commissarij, aut ab eo deputati habuerint, propalare teneantur: sub pœnis pecuniarijs, & in subsidiũ quoad Episcopos, & alios maiores Prælatos, suspẽsionis à Diuinis, & interdicti in Ecclesiam ingressus, quoad alios excommunicationis latæ sententiæ, à qua, non nisi à Sede Apostolica, absolui possint. Et qui scienter aliquod prædictorum retinuerit, nullo modo possit harum literarum & gratiarum in eis contentarũ beneficio frui. Itẽ, declarant, quòd expirante anno omnes supradictæ facultates, gratiæ & indulta expirent, tantumque poterunt causæ pendentes ad finem perduci. ITEM, prohibentur quicumque ministri & officiales sanctæ Inquisitionis in prædicatores, Commissarios, aut aliud quodcumque huius negotij ministerium assumi. ITEM, conceditur facultas eidẽ Commissario, vt dictã subuentionis quantitatem à fidelibus, vt prædicitur, pro viuis & defunctis erogandam, iuxta personarum qualitatem, & bonorum quantitatem arbitrari possit. CAETERVM, vt illud omnibus pateat, hoc præsens summarium de Latino idiomate in vulgari lingua iuxta ritus prouinciarũ, vbi publicatio faciẽda erit, non mutata illius substantia, ac pręmisso aliquo conuenienti, ac pro præsentium temporum conditione idoneo procemio conuerti, illudque de eiusdem Cõmissarij, seu ab eo deputandorum mandato simul, vel ad partem, additis etiã nominatim, pro singulorum notitia diebus Stationũ totius anni intra & extra muros huius almæ Vrbis, ipsorum Cõmissarij & Deputandorum arbitrio imprimi: & Commissarij prædicti, seu similiter ab eo ad hoc specialiter deputandorum sigillo munitum, omnibus Christi fidelibus, qui præmissorum participes esse voluerint, consignari volumus. QVOD etiam indubiam fidem, tã in iudicio quã extra facere omnino decernimus. INSVPER quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus fides de eis facienda est, deferre: volumus, & dicta authoritate etiã decernimus, quòd præsentium transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Cõmissarij, seu alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die x. Iulij M. D. LXXIII. Pontificatus nostri nno secundo. Cæs. Glorierius.

In alijs autem eius literis in fauorem huius S. Cruciatæ expeditis dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die v Martij, M. D. LXXII. Pontificatus sui anno secundo, insunt clausulæ tenoris sequentis.

ACVt etiam omnes Christi fideles, non tantùm semel, sed bis singulo quoque anno prædictis quatuor & sex annis respectiuè durantibus, seruatis tenore & forma prædictis, quibus eodem anno idem summarium sumpserint, tàm pro se, quam per modum suffragij pro animabus in purgatorio detentis indulgentias, concessiones gratias, & indulta prædicta consequi, eisque infra eundem annum bis (vt præfertur) vti, potiri, & gaudere, ac dictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant, in Domino misericorditer concedimus, & elargimur. Et insuper declaramus, intentionis nostræ fuisse, & esse sub indulto vescendi ouis, Lacticinijs, Prælatos, Archiepiscopos, Et Episcopos, aliosque Superiores, & inferiores, necnon alias personas Ecclesiasticas, Regulares, & qui in ordine Presbyteratus fuerint sæculares, etsi sexagenarij non fuerint, extra quadragesimalia ieiunia tantùm, omnibus alijs temporibus, & ieiunijs totius anni comprehensos esse, & ipsius extra dicta tempora Quadragesimalia eis vti licet. Præsentibus quoad prædecessoris prædicti, & nostræ literę prædictæ durauerint, dumtaxat valituris. Et vt Christi fideles præsentis concessionis commodius notitiam habere possint, licentiam & facultatem concedimus dicto nostro Cõmissario, illam de Latino sermone, in vulgari substantia redactã, simul, vel separatim imprimi posse facere. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnõ omnibus illis quæ in dictis literis dictus prædecessor, & Nos voluimus non obstare.

Charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico. VRBANVS PPVIII.

CHARISSIME in Christo fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Indulgentias, & gratias illas spirituales, & temporales ad sex annos publicandas, & duraturas claræ memoriæ Philippo II. Auo, & Philippo III Genitori tuis Hispaniarũ Regibus Catholicis, ac omnibus, & singulis Christi fidelibus in Regnis, & dominiis Hispaniarum, ac illis adiacentibus, necnon Sardiniæ Insulæ consistentibus, & ad illa declinantibus ijs, qui certa munera adimpleuissent à diuersis Romanis Pontificibus concessas, & deinde pluries etiam à fœlicis recordationis Gregorio XIII. Sixto V. Gregorio XIIII Clemente VIII. & Paulo V. prædecessoribus nostris eisdem Philippo Auo, & Philippo Genitori tuis Regibus, necnon Maiestati tuæ per diuersas eorum, & nostras repectiuè, & præsertim dicti Clementis, sub datm die nona Februaij MDXCII. Pontificatus sui anno primo, & xvij. Iunij M.DC. Pontificatus item sui anno nono & die xxx. Octobris M.DC.III. Pontificatus similiter sui anno xij. & dicti Pauli sub datum xxij. Iunij M.DC.V. Pontificatus sui anno primo, ac die vij. Septembris M.DC.XI. Pontificus pariter sui anno vij. & die xij. Nouembris M.DC.XV. Pontificatus item sui anno xj. ac die xxj. Octobris M.DC.XXIX. Pontificatus item sui anno xv. & nouissimè die xxvj. Martij M.DC.XXIV. Pontificatus nostri anno primo, in huiusmodi forma Breuis expeditas litteras ad sexennium prorogatas, iustis & grauibus causis adducti Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine ad aliud sexennium à fine vltimi sexennij, vt præfertur prorogati numerandum extendimus, & prorogamus. Et nihilominus Maiestati tuæ, ac supradictis omnibus easdem grarias, & indulgentias, cum omnibus, & quibuscumque indultis, facultatibus concessionibus, extensionibus, conditionibus, clausulis, & decretis in aliis Gregorij XIII. Sixti V. Gregorij XIV. Clementis VIII. ac Pauli V. prædecessorum nostrorum litteris prædictis contentis, ad sexenium à fine sex annorum vltimò prorrogatorum, vt præfertur, prout in qualibet Prouincia, siue Regno finem habebunt, Apostolica auctoritate tenore præsentium de nouo concedimus, & indulgemus. Ac propterea Dilecto filio Antonio de Sotomayor, Ordinis fratrum Prædicatorum professori, executori, & Commissario ad hoc Apostolica auctoritate deputato, plenam & liberam in præmissis facultatem, & auctoritatem tribuimus per se, vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerit ad executionem præmissorum & aliàs iuxta facultates concessas omni, & quacumque appellatione postposita procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dicti prædecessores in suis litteris voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem præsentes litteræ cum opus fuerit ad omnium notitiam deduci possin., decernimus, vt earum exemplis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsinatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam maiorem sub Annulo Piscatoris, die ix. Octobris M.DC.XXIX. Pontificatus nostri anno septimo. M. A. Maraldus.

Charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico. Innocentius Papa X.

CHARISSIME in Christo fili noster, salutem, & Apostolicam benedictionem. Aliàs à fœlicis recordationis Pio Papa V. prædecessore nostro inter cæteras gratias illas spirituales, ad certum tunc expressum tempus publicundas, & daraturas claræ memoriæ Philippo Secuudo, Hispaniarum Regi Catholico Auo tuo, ac omnibus, & singulis Christi fidelibus in Regnis, & dominiis Hispaniarum, & illis adiacentibus, necnon Sardiniæ insulæ consistentibus, & illa declinantibus ijs, qui certa munera adimpleuissent concessa, & à diuersis Romanis Pontificibus nostris eidem Philippo, ac similis memoriæ Philippo Tertio, etiam Hispaniarum Regi Catholico Genitori tuo, et à fœlicis recordatione Vrbano Papa Octauo prædecessore nostro per suas in simili forma Breuis, sub die xxvj. Martij M.DC.XXIV. et die ix. Octobris anni M.DC.XXIX. expeditas litteras Maiestati tuæ prorogatas indultum fuit, vt ipse carnibus de consilio vtriusque Medici temporibus ieiuniorum, tam Quadragesimalium, quàm quorumlibet totius anni, ac pro eorũ libitu ouis, et lacticinis vesci, ita quod qui carnes non comedissent, seruata in cæteris ieiunij Ecclesiastici forma, dicto ieinnio satisfacere censerentur, liberè, et licitè possent, sub hac tamen gratia, et concessione minimè comprehendi Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, neque alios inferiores Prælatos, neque quaslibet regulares personas, atq; ex secularibus eas, quæ in presbyteratus ordine constitutæ essent, quoad quadragesimalia ieiunia; illis autem exceptis omnes præfatos, præterquam insularum præfatarum incolas etiam, ouis, et lacticiniis vesci posse, vt supra concessit. Voluit etiam quemcumque Ecclesiasticum, vel secularem, qui eam gratiam fuisset assequutus, ea minimè posse vti extra ipsa Hispaniarum Regna, et aliàs prout in diuersis Pij prædecessoris, tam sub plumbo, quàm in simili forma Breuis desuper expeditis litteris, quarnm omnium tenores expressè idem Vrbanus prædecessor haberi voluit pro expressis pleniùs continetur. Qui deinde Vrbanus prædecessor spirituali consolatione Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumquè inferiorum Prælatorum, et presbyterotum secularium præfatorum benignè consulere volens, supplicationibus etiam Maiestatis tuæ nomine super hoc humiliter porrectis inclinatus. Venerabilibus fratribns Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et alijs inferioribus Prælatis, necnon Clericis, et presbyteris secularibus præfatis tantùm, et ad sexenium tunc proximum quadragesimali tempore (hebdomuda tamen maiori excepta) ouis similiter, et lacticiniis pro eorum libito vti, et vesci liberè, et licitè valerent, Apostolica auctoritate indulsit, ipsumquè indultum, et sexennium præfatum postea ad aliud sexennium à fine vltimi dicti sexennij computandum extendit, et prorogauit, et certum tunc expressum præfatarum gratiarum executorem, et Commissarium fecit, constituit, et deputauit, et aliàs prout in diuersis eiusdem Vrbani prædecessoris, sub datum die iij. Maij M.DC.XXXIV. et xxvj. Februarij M.DC.XXXIX. respectiuè, desuper expeditis in simili forma Breuis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs cõtinetur. Nunc verò Nos eosdem Prælatos, et presbyteros seculares dumtaxat amplioribus fauoribus, et gratijs prosequi volentes, supplicationibus etiam Maiestatis tuæ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Indultum huiusmodi, ac sexennium vltimò prorogatum ad aliud sexennium à fine vltimo dicti sexennij computandum, Apostolica auctoritate tenore præsentium extendimus, et prorogamus. Ac Venerabilem fratrem Antonium Archiepiscopum Damascenum præfatarum gratiarum executorem, et Commissarium, auctoritate, et tenore præfatis facimus, constituimus, et deputamus. Decernentes irritnm, et inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus literis præfatis, ac omnibus ijs, quæ in illis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscnmque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die secunda Ianuarij M.DC.XXXXV. Pontificatus nostri ando primo. M. A. Marældus.

Litteræ autem commissionis nostræ S. Cruziatæ sunt tenoris sequentis. A tergo. Dilectio filio Petro Pacheco Iuris vtriusque Licentiato. INNOCENTIVS PAPA X.

DIlecte fili salutem, et Apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecit Charissimus in Christo filius noster Philippus IV. Hispaniarum Rex Catholicus, dilectus filius Didacus de Riaño Archidiaconus Ecclesiæ Conchensis, qui gratiarum subsidij excusati, ac primæ decimæ, et Cruciatæ Sanctæ Claræ memoriæ Philippo Secundo concessarum, ac similis memoriæ Philippo Tertio earundem Hispaniarum Regibus Catholicis à diuersis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris & ipsi Philippo Quarto Regi, à felicis recordationis Vrbano Papa Octauo, etiam Prædecessore nostro, ac à nobis prorrogatarum exequutor, et Commissarius Generalis auctoritate Apostolica deputatus existit, Consilij Castellæ Præses ab eodem Philippo Quarto Rege constitutus fuerit, & ratione muneris Præsidis huiusmodi impeditus prædicto executoris, & Commissarij muneri vacare non possit, illudque per eius cesionem vacet. Nos eiusdem Philippi Quarti Regis, supplicationibus [illegible] hoc humiliter porrectis inclinati te in locũ dicti Didaci exequutorem et Commissarium Generalem earundem gratiarum, cum omnibus, & singulis facultatibus, priuilegijs, & indultis eidem Didaco concessis, & aliàs in omnibus, & per omnia dicta auctoritate tenore præsentium ex nunc substituimus, & subrogamus: Non obstantibus, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo piscatoris, die xxviij Nouembris, M.DC XXXXVIII Pontificatus nostri Anno quinto. M. A. Mara dus.

PRÆINSERTAS Apostolicas litteras summa veneratione acceptas, in animo constituentes debitæ executioni mandare, vt Nobis à prælibatis SS. DD. NN. ceu tali Cõmissario Generali prædictæ sanctæ Cruciatæ commissum, & mandatum est, earundem litterarũ publicationẽ omnibus in Regnis, dominijs, & insulis præfatis fieri decreuimus, & iussimus. Decernentes, & statuentes vt omnes, & singuli Christi fideles cuiusuis dignitatis, gradus, status Ordinis, & conditionis existentes, qui eleæmosynam, & subuentionem in Bulla, & summario illis consignando præscriptam, & assignatam, iuxta taxam factam obtulerint, dederint, & assignauerint tam pro se, quàm pro defunctorum animabus per modum suffragij, receperint, receptumque pœnes se retinuerint præfatum typis excusum Bullæ summarium, descriptum ibidem vnius cuiusque nomine proprio, aut defuncti pro cuius anima huiusmodi eleæmosyna oblata fuerit prædictis gratijs, facultatibus, & indultis eis concessis, vtantur, potiantur, & gaudeant. Necnon etiam venerabiles fratres Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, cæterique Prælati inferiores, necnon etiam Presbyteri seculares tantum, qui eleæmosynam taxatam erogauerint, sine tamen præiudicio elemosynæ offerendæ ad assecutionem dictarum gratiarum sanctæ Cruciata, tẽpore Quadragesimali (hebdomada maiori excepta) possint vti, & vesci ouis, & lacticinijs pro eorum libito seruatis, quæ à prælibatis DD. NN. ad huiusmodi consecutionem seruari, & exequi iussum est.

¶ PROINDE Nos præfatus D. Petrus Pacheco Cõmissarius Generalis eadem authoritate Apostolicæ nobis per præfatas litteras concessa ne adeó pium, & sanctum opus disturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, facultates, & concessiones, suspendimus durante anno prædicationis, et publicationis huius Cruciatæ omnes similes, & dissimiles gratias, indulta, & facultates à præfatis SS. DD. NN. cæterisq; a Summis Pontific. & Sede Apostolica, vel eius auctoritate per dicta regna, dominia, & insulas neq; suffragari quibusvis Ecclesijs Hospitalibus, & locis pijs vniuersitatibus confraternitatibus, et singularibus personis per nos concessas etiã in fauorẽ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe aut alterius similis Cruciatæ. Quamvis omnes concessiones huiusmodi, vel quasvis eatum clausulas aliquas contrarias huic suspensioni contineant etiam si pro publicatione, & executione earumdem facultatum emanauerint. Ita vt durante anno prædicationis, & publicationis huius Bullæ huiusmodi gratiæ, ita suspensæ, neq; publicari, neq; suffragari alicui possint: exceptis tamen quę concessa sunt Ordinũ, Mendicantiũ superioribus, quoad eorũ fratres. Insuper in fauorẽ præsenti huius concessionis, & Cruciatæ, declaramus, vt quicumque summarium huiusmodi Bul[illegible]one, & idiomate vulgari conscriptum acceperint, omnes fruantnr, potiantur, & gaudeant omnibus gratijs, indulgentijs, Iubilæis peccatorum remissionibus ipsis, tam per S. D. N. Gregorium XIII. quàm per alios Summos Pontifics, aut Sedem Apostolicam concessis. Quæ scilicet omnia. Nos idem Commissarius Generalis, vigore facultatis, & Comissionis Apostolicæ, per varias, & diuersas litteras, Nobis attributæ, & concessæ damus, & in pristinum statum reducimus & restituimus. Ceterum in hac nostra reualidatione minimè comprehendi volumus priuilegia facultates, et indulta, quæ sint contraria, et expressa in præfata Bul[illegible] in virtute facultatis prædictæ suspendimus interdictum, si forsitan aliquod fuerit in loco illo, vbi publicatio huius cõcessionis facienda fuerit per octo dies ante, & totidẽ post publicationẽ velut in ipsis Apostolicis litteris latiùs habetur. Sed, quia operosum esset præinsertas originales litteras ad singula quæque loca deferre, propterea impressas, & in hanc publicam formam nomine nostro subscriptas, & sigili nostri impressione munitas, ac per infrascriptum Notarium, & Secretarium signatas mandamus confici, & expediri His præsentibus statuentes, eandem vbique fidem adhiberi, quæ originalibus prædictis litteris daretur, si exhibitæ, & ostensa ibi fuissent. Quibus omnibus sic rite, & legitime actis auctoritatem nostram & decretum interponimus. Dat. Matriti die 30. Maij. Anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo octauo Præsentibus ibidem pro testibus, Didaco à Quadro, Mattheo Pastor, & Damiano de Peña nostris ad præmissa vocatis.

Dr. Pedro Pacheco

Et quia ego D. Franciscus Gratian Verruguete, Regias interpretationis linguarum Secretarius, Apostolica auctoritate Notarius, ibi interfui; Ideò hoc transumptum subscripsi, signaui.

Fran.co Gracian Berruguete

Perg. 30